

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Hermann Lembke

**Programma Quo Ad Resurgentis Christi Solennia, pie devoteq[ue] obeunda,  
Omnium ordinum Cives Academici serio studioseq[ue] invitantur : [P. P. Sub  
Sigillo Rectoratus ... cl I cLIIX.]**

Rostochii: Kilius, [1658]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn735631646>

Druck    Freier  Zugang



63.

PROGRAMMA  
QUO  
AD  
**R E S U R G E N T I S**  
**C H R I S T I**

Solennia, piè devotèq;  
obcunda,

Omnium ordinum Cives Academici  
seriò studiosèq; invitantur.

PROPOSITUM  
RECTORE ACADEMIÆ  
**H E R M A N N O** Lembken/  
J.U.D. ac Codicis Professore.



*ROSTOCHII,*  
Tyris Heredum NICOLAI KILI, Acad. Typ.

**T**ertullianus, Latinæ sive occidentalis Ecclesiæ Doctorum, quorum quidem scripta ad nostram servata sunt ætatem usq; antiquissimus, librum, quem de Resurrectione carnis scripsit, his rectissimè orditur verbis: **FIDUCIA CHRISTIANORUM, RESURRECTIO MORTUORUM.** Nisi enim functum aliqua restitutio foret, que beatiorem meliorem q; quam hodierna est, vitam polliceretur, homine Christiano nihil esset profectò infelius; frustra etiam sit vitæ ad legis divinæ normam conformatio, & in sincera fidei confessione, Martyrum admirabilis constantia; cruciatuum & tormentorum, & crudelium suppliciorum tolerans, vana item esset in CHRISTO e jussq; morte & merito fiducia. Ex i.e itaq; & vero Apostolus I. Cor. XV, 19. Si in hac solùm vita speramus in Christum, miserrimi sumus mortalium. Et S. Epiphanius in Ancorat. num. XCII. In hac (carnis nostra & resurrectione) omnis thesaurus, & sanc mentis firmamentum, ac boni omnis officii spes est collocata. Græca ita habent: Εν γαρ (ἀναστάτης ἡμετέρας οὐρανούς) πᾶς ἐθνουρανός, ηγετής παντὸς τοῦ φρεσοῦ. Κοινός μόνος τοῦ αὐτοφεγγίας εἰπεῖς Διονεῖ. Gemina his S. Cyrillus Hierosolymitorum archiepiscopus Catechesi illuminandorū XLIX. initio: ιδού τὸ αὐτοφεγγίας καὶ ἀναστάσεως εἶπεν &c. Radix bona operationis est spes resurrectionis: expectatio enim retributionis instat mentem ad bonum operandum, promptior q; fit omnis operarius ad perficiendos labores, si præmium laborum præviderit.

Qui

Qui vero sine præmio laborant, iis & anima & corpora concidunt.  
Hinc Jobus, quum in maximis constitueretur ærumnis  
ac calamitatibus, certæ resurrectionis spe & fide fæse  
erigit, confessionemque suam posteritati relinquit, hi-  
sic obsignata verbis: confessi sunt (præ nimio des-  
iderio) renes mei in sinu meo. Verum enim verò  
ista Christianorum fiducia, id spei fundamentum,  
hoc religionis Christianæ mysterium, Dæmonis ver-  
sutiæ, Hæreticorumque, ab eo Patre satorum, malitiæ,  
nimio perè infestatum semper fuit. Αντλεύετω ελληνες, ἀπ-  
εισαὶ Σαμαρεῖ), Αγορευοι αἰσθανοι, ait Cytil. loco sup. cit.  
Contradicunt Græci, non credunt Samarite, elevant Hæretici.  
Enim verò non tantum Gentiles extra Ecclesiam, & apud  
Judæos Sadducei (quos in omnibus ferè secuti Samari-  
tani; undè fit, ut multi hos cum illis misceant) sed  
etiam in ipsa Ecclesiâ Christianâ plurimi variis Resurrec-  
tionem modis oppugnaverunt. Hymenæus & Phile-  
tus dixerunt, resurrectionē jam factam esse, II. Tim. II, 18.  
propriam negantes, & figuratam solum, qua in pœnitentiâ & conversione ad DEUM consistit, & prima cætero-  
quin appellari in Sacris favevit, concedentes. In Corin-  
thiacâ quoque Ecclesiâ jam Pauli tempore reperire fuit,  
qui dicerent; non esse futuram mortuorum resurrectionem,  
contra quos ex professo agit, disputauitque I. Cor. XV, 12.  
seqq. Hos alii magno numero secuti sunt, ita ut in pri-  
mitivâ Ecclesiâ vix Hæreticos invenias, qui non in hunc  
fidei articulum, tanquam ostensionis lapidem, impege-  
rint; veluti expressè nominare est Simonianos, Satur-  
nianos, Basilidianos, Carpocratianos, Gnosticos, Va-  
lentinianos, Ophitas, Cajanos, Sethianos, Archonticos,  
Cerdonianos, Marcionitas, Lucianos, Apellis & Severi  
discipulos, Origenianos, Seleucianos vel Hermianos,  
Manichæos, Hierachitas & cæteros, quorum omnium  
cata-

catalogum texere nimis longum foret; videriq; possunt  
Irenæus adversus hæreses. Tertullianus de præscriptio-  
nibus, Epiphanius Panario & Ancorato. Augustinus ad  
Quodvultd. Philastrius Brixensis, & Joan. Damascenus  
de hæresib. Theodoreetus de hæreticis fabulis. Harmo-  
nopus de Sectis, & alii. Quidnam Avorum memo-  
riâ circa præsens negotium delirarint, quāmq; monstran-  
tas in Ecclesiam sententias ex orco reduxerint Anaba-  
ptistæ, Svenckfeldiani, Weigeliani, & Photiniani, id  
verò notius est, quam ut memorari indigeat. Coeterū  
& hi, & quos supra nominabamus, omnes singuliq; pro-  
pinqui Sadduceorū, & Sadducæ Christianorū, uti Tertul-  
liano apposite appellantur, respōsum ferant. quale olim  
haud injuriā majores ipsorum tulerunt: ~~ωλαράδε μὴ ἀδό-~~  
~~τε τὴν δύναμιν Εθεῖ, μηδὲ τὰς γένοφας;~~ Matth. XXII, 29.  
Erratis, neq; scientes potentiam DEI, per quam fiunt sc. quæ  
alioquin nulla potentia fieri possent; neq; Scripturas, qui-  
bus nimirum Deus fallere nescius resurrectionem prædi-  
xit & promisit. Ipse, qui ita Sadducæis repuluerat,  
adversum eosdem ex verbis DEI ad Mosen factis, myste-  
rium probat & demonstrat, ubi ad objectionem & argu-  
mentum ab absurdo desumptum, his respondet verbis:  
Filii hujus seculi ducunt uxores, & nuptum dantur; qui verò  
digni habiti fuerint, qui seculum illud consequantur, & resur-  
rectionem ex mortuis, neq; ducunt uxores, neq; nuptum dantur.  
Hæc ad objectionem Adversariorum DUMINUS. Arg.  
pro resurrectione his subjungit verbis: De resurrectio-  
ne non legistis, quod vobis dicitum est à DEO dicente:  
Ego sum DEus Abraham, DEus Isaac, & DEus Jacob.  
DEus autem non est Deus mortuorum, sed viventium.  
Cujus argumenti visi & dñe, quum jam alii dudum  
egregie monstrarint, clarissimeq; deduxerint, nos qui-  
multum neq; obliop

dem operæ parcimus, saltimq; id innuimus, locum à Do-  
mino Matth. XXII. Marc. XII. & Luc. XX. allegatum,  
extare in Exod. III, 6. quem ipsum Manasseh ben Israël  
suo de Resurrectione mortuorū lib. ubi ex XXIV. V. T.  
locis, ut ait lib. I. cap. 3. in fine, eam ostensum it, non ad-  
duxit, sed consultò (fortè quod nimio in Messiam odio  
teneretur) omisit. Luculentum & insigne præterea id  
quoque est testimonium, quod apud Dan. XII, 2. visitur.  
Multi qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt, h̄i in vitam  
eternam; illi verò ad opprobrium & contentum eternum. Nam  
verba hæc non loqui de liberatione extemporalis aliquo  
periculo aut infelicitate, docet ipse Magister Christus  
Joh. V, v. 28,29; ubi paullulū immutato sermone ait:  
*Venit hora, in quā omnes* (hæc particula explicat τὸ Multi,  
quod est apud Danielem; ostenditq; non ad prædicati  
illud distributionem, sed subjecti determinationem re-  
ferendum) *qui in monumentis sunt, audient vocem Filii homi-*  
*nis;* & procedent, quibonafecerunt, *in resurrectionem vita,*  
*qui vero malaegerunt, in resurrectionem judicii.* Hæc enim  
Christi verba, iis, quæ apud Dan. leguntur, gemina esse,,  
ipsi etiam Augustino lib. XX, de Civit. Dei, cap. XXIII.  
egregiè monitum observatumq; est. Porro non minus  
manifesta & illustria verba illa JOBI sunt, quæ de mor-  
tali hac vita, & in feliciorem statum restitutione prope-  
modùm desperabundus protulit cap. XIX, & ex verio-  
ne Joan. Coccei, quæ ad Ebræam veritatem maximè no-  
bis quidem accedere videtur. ira habent: *Sanè ego novi,*  
*quod vindicta meus vivit, & postremus super pulverem stabit.* Et  
*postquam cutis mea destruxerint hoc, (ulcera sc. & sanies, &*  
*post mortem vermes) etiam ex carne mea videbo DEUM,*  
*quem ego videbo mihi, & oculi mei viderunt (rectius forte)*  
*illud quidem persolutum: oculi mei videbunt) & non aliis:*

Græca

Græca versio, quæ pro LXX. hodiè venditatur, ab Ebræi.  
textus sensibus multū recedit, factumq; indē sine dubio  
est, quod pāuci ex Græcis Patribus illa de resurrectione  
à mortuis acceperint, sed pleriq; de corporis, ulceribus  
laceri, restitutione in integrum, meliorique adeò vale-  
tudine, explicarint. Cyrilus tamen, loco semelite-  
rumq; suprà allegato, i. e. catechesi Φατιγούων XIX.  
de resurrectionis fide, à Jobo creditâ, intelligit. E La-  
tinis Hieronymus, Ebræi Idiomatis, si quis quam eo tem-  
pore alias, peritissimus, Epist. 61. ad Pammach. de erro-  
rib. Joannis Hierosolymitani: *Quid hac prophetia, inquit,  
manifestius? Nullus tam aperte post Christum, quam iste ante  
Christum, de resurrectione loquitur.* Quæ sententia forte  
etiam sanctissimum doctissimumq; Patrem commovit,  
uti aliquantò liberius verteret, quam fons aut ipsa SPI-  
RITUS lingua pateretur. In Novo Testamento quæ  
in hanc rem visere dicta aut testimonia est, adeò clara  
sunt, ut ipsis solis radiis scripta esse videantur. Expo-  
nuntur ibi etiam multæ Resurrectionis circumstantiæ,  
conditionesque ac qualitates resuscitatorum corporum  
indicantur. Consulatur, quam antè memorabamus, ha-  
bita DOMINI cùm Sadducæis disputatio, adeanturque  
loci Joh. V, 28. VI, 39. & 40. XI, 24. Luc. XIV, 14. Act.  
XVII, 18. XXIII, 6. XXIV, 15. Philipp. III, 21. I. Thets.  
IV, 14. II. Timoth. II, 18. In I. ad Corinth. XV, hoc am-  
plius agit Apostolus, ut certis invictisq; mysterium argu-  
mentis demonstret, nostramque inter alia Christiano-  
rum seu fidelium resurrectionem, cum SERVATORIS  
in vitam redditu ac resuscitatione conjungat, sive ex ista  
potius illam derivet. v. 13. *Si mortui non suscitantur, Chri-  
stus quoq; non est suscitatus.* It. v. 20. *Nunc autem Christus  
suscitatus est ex mortuis, & primitie eorum, qui obdormiverūt,  
factus.*

factus. Enim verò capit is & membrorum conjunctio &  
mita est cōformitas. Igitur cueri vitam hæc non poterūt,  
si illud perpetuæ mancipatum morti est, aut non mane-  
bunt etiam in sepulchris ista, si illud à mortuis resurrexit.  
Si credimus (est in I. Thess. IV, 14.) JESUM mortuum esse, &  
resurrexisse, ita etiam Deuseos, qui obdormiverunt in JESU,  
adducet cum eo. Pulchrè appositoq; Augustinus: Qui are-  
surrexit caput vestrum, hoc sperate membra, quod credidistis in  
capite. Proverbium est antiquum & verum: Ubi caput, ibi &  
exteriora membra. Resurgent itaq; corpora nostra, & eadem  
quidem numero, quæ ceciderant: Quod si enim his alia  
substituerentur, aut quæ fuerant antè, tota in spiritus de-  
in mutarentur, (uti Fanaticorum, quos supra bonam par-  
tem recensuimus, habet sententia) non propria dicenda  
sanè resurrectio, sed μετεμψύχωσις potius quædam foret;  
manifestissimeq; implicaret; Resurrectionem carnis af-  
ferere, & tamen ejusdem numero carnis restitutionem  
negatum ire. Rectè Joan. Damascenus lib. IV. orth. fid.  
cap. 28. Αυτὸν τὸ σῶμα τὸ φθειρόμενον καὶ θλιβόμενον, αὐτὸν ἀνασ-  
τητὸν φθάρτον. Idem Corpus, quod corruptitur & dissolvitur,  
idem resurget incorruptibile. Ecce quā denuò hic etiam  
membris suis præierit CAPUT CHRISTUS! Sanè en-  
im idem illud, quod in cruce pependerat corpus, quod  
fossum clayis, insignitumq; non uno vulnere erat, de tu-  
mulo retulit, uti viam aperiret, quā & nos bis ipsis co-  
poribus nostris erumperemus olim, ac in æternam vitam,  
ejus secuti vestigia, penetraremus. Ceterum rem ulter-  
iùs deducere vetat chartæ angustia. Hodie RESUR-  
GENTIS, nostræq; resurrectionis Auctoris CHRISTI  
repetitur celebraturq; memoria. Festum est solenne, &  
quo nullum temerè majus est sanctiusq; aliud; ut à quo  
falus, fides, & justificatio nostra dependeat, Rom. IV, 25.

Nostra


viii

Nostrarum itaque partium, CIVES ACADEMICI, fuerit, rite decen-  
terque obire. Festum celebremus (est in I. ad Cor. V, 8.) non in ferumen-  
to veteri, nec in fermento malicie & versutie, sed in panibus fermento ca-  
renibus, h. e. sinceritate & fide. Nimirum vult Apostolus vere a nobis,  
qui Christi hi ut perhibemur, ita esse debemus, præstari, quod in Pa-  
schæ ceremoniis per umbram & figuram indicabatur: ut, sicut illis  
mactato agno, nefas erat, ullum fermentum domi habere, a quo etiam,  
novo quodam vitæ genere, tolos septem dies abstinebant; ita nos ho-  
die CHRISTI sacrifici, semel peracti, participes redditii, totam vitam  
in justitia & integritate consumamus. Id autem fieri minime potest,  
si fermentum domi nostræ inveniatur, i. e. nisi & ipsi studeamus vitæ  
morumque innocentia, & contrà omne impurum, criminosam ac da-  
mnabile facessere a nobis jubeamus. Hæc igitur duo a nobis quoque  
requiruntur hoc maxime festivo tempore, ejusdemque occasio-  
ne, tota vitæ: Unum ut omnem impietatem abnegemus, omnem ne-  
quitia & malitia turpitudinem resiciamus; alterum, ut veritatem do-  
ctrinæ lestemur, & Redemptoris nostri, in veritate & sinceritate ambu-  
lantis, vestigia prout adoremus, & sine ullâ tergiversatione sequamur.  
Qui quidem ipse mortuus & sepulchro conditus est, secundum Scripturas;  
verum tertia die in vitam revocatus, morti deinceps non est obnoxius; ita &  
nos per baptismum sepulti sumus cum Christo in mortem, ut, veluti uis a morte  
excitatus es per gloriam Patris, pariter ipsi etiam a somno seu veterno,  
imo a morte vitiorum experrecti, in novitate vitæ ambulemus. Rom. VI.  
Neque enim certè resurget in nobis novus homo, nisi vetus moriatur;  
non prodibit Spiritus novitas, nisi mortua sepieliatur prius carnis vetu-  
stas. FELIX igitur, qui partem habet in RESURRECTIONE  
PRIMA; in eum MORS SECUNDA nihil sibi  
arrogatura est imperii.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus, ipsa PA-  
SCHATOS Feria I. h. e. III. Eid. April. Anno  
recuperatae gratiae clo 10 cLIX.

-6)O(3-

factus. Enim vero capitis & membro  
 mira est conformitas. Igitur tueri vitam  
 si illud perpetuae mancipatum mortis e-  
 bunt etiam in sepulchris ista, si illud a.  
 Si credimus (est in I. Thess. IV, 14.) Je-  
 sus resurrexisse, ita etiam Deus eos, qui obdo-  
 adducet cum eo. Pulchre appositeq; Au-  
 surrexit caput vestrum, hoc sperate membrum  
 capite. Proverbium est antiquum & verum  
 cetera membra. Resurgent itaq; corpora  
 quidem numero, quæ ceciderant: Quæ  
 substituerentur, aut quæ fuerant antè, et  
 in mutarentur, (uti Fanaticorum, quos  
 tem recensuimus, habet sententia) no-  
 sanè resurrectio, sed μετεμψύχωσις poti-  
 manifestissimèq; implicaret; Resurrec-  
 ferere, & tamen ejusdem numero car-  
 negatum ire. Recte Joan. Damascenu-  
 cap. 28. Αὐτὸν τὸ ματα τὸ Φθιζόμενον καὶ Διχλ  
 οταρά φέρετον. Idem Corpus, quod corrumpit  
 idem resurget incorruptibile. Ecce quā  
 membris suis præierit CAPUT CHRIS-  
 TINI idem illud, quod in cruce pèpende-  
 fossum clavis, insignitusq; non uno vi-  
 mulo retulit, uti viam aperiret, quā & n-  
 ribus nostris erumperemus olim, ac in a-  
 ejus secuti vestigia, penetraremus. Ca-  
 riūs deducere verat chartæ angustia.  
 GENTIS, nostreq; resurrectionis Au-  
 repetitur celebraturq; memoria. Festui  
 quo nullum temerè majus est sanctiusq;  
 fatus, fides, & justificatio nostra dependit



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0746